

nem petere licebit. Iam vero si sacrarum profunda literarum  
mysteria perferre, ac peruestigare cures, nullo post illos  
magnos sanctæ ecclesiæ doctores, magistro plenius, ac cla-  
rius discas. Quid dicam de eo, quo adversus omnes hæreticos  
zelo accendebatur? quos sane ceu venaticus procul odoraba-  
tur canis, persequebaturque, magni illius Athanasii incorrup-  
tos, ac catholicos referens mores ac fortes labores: quos om-  
nes pro catholicæ veritatis amore instar magni patriarchæ Ia-  
cobi facile perpetiebatur. Ceterum tanti auctoris utilitatem,  
doctrinam, omniumque disciplinarum tractandarum rationem,  
christiane lector, Illustrissimo ac Reverendissimo Archiepis-  
copo Hispalensi, Ferdinando Valdesio, supremo rerum fidei  
cognitori (quem huius præclari operis hæredem reliquit) ac-  
ceptam refero, qui summo curavit studio, ut præsens opus  
in lucem omnium utilitati profuturum ederetur. Nec minor,  
studiose lector, Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Gas-  
paro de Zuñiga, Archiepiscopo Compostellano, Summo sacræ  
Cæsar. Maiest. Capellano gratia debetur, qui pro ea necessi-  
tudine, qua auctori devinctus erat, summopere studuit, ut  
quam brevi tam insigne opus in lucem ederetur. Quapropter  
opus tam elegans, eruditum, omniumque disciplinarum ge-  
nere refertissimum (ut prætermittam valde catholicum, his-  
que calamitosi temporibus apprime utile, immo dicam ne-  
cessarium) excudendum, non solum magna cum laude totius  
sanctissimi Patris Dominici ordinis, sed etiam totius Hispa-  
niæ, immo ecclesiæ Catholicæ, oppido duximus. Matriti 15.  
die mensis Augusti, anni Dominici MDLXII.

*Rodericus Valdilaus.*

MEL-

# MELCHIORIS CANI

## VINDICATIONES, QUIBUS NONNVLLO RVM IN EIVS Libros de Locis Theologicis accusatio- nes refelluntur.

### CAPVT PRIMVM.

*Egregia Virorum Illustrium de Melchione Cano  
testimonia.*

NICOLAUS ANTONIVS HISPALENSIS  
I. C. in Bibliotheca Hispanica.

**F**R. Melchior Canus, vulgo Cano; Prædicatorum so-  
dalis, oppidum quoddam Toletanæ Diocesis Ta-  
racon appellatum patriam fortitus mihi videtur fuis-  
se. Ibi enim edita est Anna eius soror, Melchioris alte-  
rius Cani, qui in eadem Dominicana familia excellentem  
vivos, moriensque pietatis famam sustinuit, mater: quod  
Monopolitanus Episcopus, historiæ huius ordinis, part.  
4. libr. 3. cap. 31. disertè affirmat. Parentis ipse meminît  
initio lib. 11. de Locis Theologicis, Viennæ Austriæ tunc  
extincti, cum absolvisset is superiorem huic librum; cu-  
ius quidem causa, non solum se hunc laborem suscepisse,  
sed & ei nuncupaturum, si viveret, fuisse ait. Nomen au-  
tem cur reticuit eius, quem dignum hoc munere, & apud  
mortales, qualis ille fuit, reliquum esse nullum, vir do-  
ctissimus & prudentissimus non temere ac impotenter di-  
xisse credendus est. Dominicanis se aggregavit Salmanticiæ  
ad

ad S. Stephani amplissimam huius ordinis domum. Profecit in Theologicis maxime, sub summo ætatis suæ, & professionis viro *Francisco Victoria* ibi docente: qui Cani ingenio, ut ipse aiebat, egregie delectabatur; & tamen vereri se adiungebat, *ne huius insolentia elatus & exultans* (verba audis ex principio libr. 12. de Locis) *immoderate iactaretur, & grandior effectus, non late modo & libere ingrederetur, sed temere etiam ac licenter præceptoris vestigia conculcaret.* Quod *Victoria* iudicium ne in se comprobaret, sedulam dedisse operam, sibi ipse arrogat; quanquam illos probare non soleat, qui velut sacramento rogati, vel etiam superstitione constricti, ut *Fabius* ait, nefas ducunt a suscepta semel persuasione discedere. *Theologo quippe nihil est necesse* (utor semper elegantissimis & prudentissimis eius verbis, eodem loco) *in cuiusquam iurare leges. Maius enim est opus, atque præstantius, ad quod ipse tendit, quam ut magistri debeat vestigiis semper insistere, si quidem est futurus Theologiæ laude perfectus.* Id vero ingenium tantæ spectationis non totum is scholæ dedit, atque eius conflictationibus, quod fere alii apud nos solent, nescientes quam non lauta sibi ea, qua maxime gloriantur, exinde cum pedem moverint, apparitura sit suppelles. Imo cogitationes suas in id se aliquando contulisse, initio libr. 10. affirmat, ut se quavis via & ratione ab iis liberaret. Interim animadverso, verum Theologum præstare illum vix posse, qui sine literarum sæcularium, & historiæ cognitione, linguarumque orientalium peritia, ieiune diiudicandis scholæ quætionibus horas omnes impenderit: non solum ab his disciplinis egregia sibi comparavit adiumenta & ornamenta, sed & insignem eloquentiæ vultum, veluti elegantissimam vestem pulchro corpori adiunxit. Quo magis instructus ad scholam rediit, cum Academia viros illos summos amisisset, qui huic doctrinæ operam dabant; prudenter existimans honestissimum se in eo exhibiturum officium christianæ reipublicæ, si animum in schola suam, ut ipse loquitur libro 10. vel repugnantem contineret. *Victoria* nempe ad MDXLVI. diem suum obeunte, *Canus* noster docendi locum e cathedra principe suscepisse dicitur, qui forte iam vespere militabat. *Bartholomæus Caran-*

za & Miranda, qui postea fuit Toletanus antistes, florēbat eo iam tempore in provincia Castellæ, non minus opinione literarum, quam dignitate; quocum nostro malè conveniebat, adeo ut factio sua quemque, ab eius cognomine appellata, in negotiis domesticis sectaretur. Vnde nata est fama, *Mirandæ calamitatis*, de qua in eius mentione locuti sumus, aliqua extitisse *Canum* ex parte auctorem. Impatiens enim quisque eorum fuisse loci secundi in literarum laude, aut in sodalium existimatione videri potest. Academico isto conspicuus munere, Italiam ad concilium venit sub *Paulo III.* Tridentinam ad urbem convocatum, ibique tam perspicaciæ mentis, atque iudicii maturitatis, quam profundæ sapientiæ, & singularis facundiæ laudem eximiam communi omnium collegarum sententia reportavit. Cuius rei satis idoneum testimonium præstare poterit *Sforza Pallavicinus* S. R. E. Cardinalis doctissimus, ante paucos annos e vivis ereptus, dum in concilii huius historia, vulgaris linguæ Italicæ, vix usquam, quin simul commendet, *Canis* recordatur. In Hispaniam reversus, *Salmonicæ* adhuc docuit, succedentique vice *Caroli Philippo* filio gratius valde extitit: cui nempe regi auctor fuisse dicitur, non tamen sine totius Collegii *Salmonicensium* Theologiæ, ac iuris doctorum suffragatione, consilii de iustitia belli adversus quemcunque suprema etiam in terris dignitate sublinem, pro defensione propriæ conditionis excusabiliter inferendi. Quod quidem ingratisimum fuisse dicitur *Paulo Quarto*, Summo Pontifici, vixque ab eo obtineri potuisse, etiam pacatis rebus, ut ad nutum regis episcopus ille *Canariarum insularum* in locum *Francisci de la Cerda* eiusdem ordinis *Dominicani*, *Capræ comitis* filij, crearetur. Cum tamen huic honori, ne ab Hispania discederet, renunciasset; non diu post electus ante annum provinciæ suæ Castellæ præfectus. Seculi superioris sexagesimo vitam cum morte *Toleti* commutavit, immortalis preparata sibi fama, in opere illo vix iusti voluminis, quod vere tot laudatores & admiratores, quot lectores habet, Locorum scilicet Theologicorum libr. 12. in quibus non modo vera refellendi universos christianæ religionis hostes, confirmandique sacra dogmata ratio, ac



usus exacte ostenditur, verum etiam omnia fere quæ hodie in controversia habentur, luculentissime examinantur.

Id non nisi post auctoris mortem, primum Salmanticæ publici iuris factum fuit, apud Matthiam Gastium 1563. in folio, editionem promovente D. Ferdinando de Valdes Hispalensi archiepiscopo, & generali Hispaniarum Inquisitore, cui Canus edendum legato reliquerat, nec tamen perfectum. Destinaverat enim is decimumtertium, ac decimumquartum libros pro colophone operis adiungere, ad quos non semel aut bis (nempe in fine capituli 3. libr. 10. cap. 2. libr. 8. cap. 4. libr. 12. & cap. 1. libr. 11. eorum, quibus hodie fruimur) lectorem remittit. Venetiis dein prodit opus ex officina Bartholomæi Rubini 1567. in octavo, Lovanii 1569. Coloniæ 1574. iterumque 1585. apud Bitkman in octavo, tertioque 1603. cum Relectione de pœnitentia, &c. ....

Præter locos Theologicos, reliquit etiam Relectionem de Pœnitentia, habitam in Academia Salmanticensi anno 1548. super decimamquartam distinctionem libr. 4. Sententiarum, Compluti apud Petrum Rombles 1563. in fol.

Item Relectionem alteram de Sacramentis in genere: Quæ una cum superiore Mediolani edita est 1580. in octavo. Iudicium quoque id, cuius meminimus, de Secta Iesuitarum tribuit ei is, qui sub nomine Alphonfi de Vargas latere voluit, in Relatione ad reges & principes christianos cap. 7. atque item Adversus statutum ecclesiæ Toletanæ, quo infecti sanguinis homines a beneficiis huius ecclesiæ arcentur, aliquid scripsisse, idque in lucem emissum fuisse alicubi legimus.

Cardinalis Sfortia Pallavicinus, in Vindicationibus Societatis Iesu, cap. 28.

**P**Lacet hoc loco recitare, quid existimarit hac de re non acutus quidam Sophista, qui non tam Theologiam, quam Theologiæ fumum, & umbram per captationes & scitamenta sectaretur; sed Theologus evoluti sæculi pereruditus, doctrina pariter, atque ingenio præ-

stans,

stans, fama magnus, re maior. Loquor Melchiorem Canum, qui aureo plane volumine hanc ipsam de Locis Theologicis tractationem ante omnes, & supra omnes est executus. Idemque primus fuit, reor, qui docuerit, & quod minus est, latinam linguam in lycæo divina effari; & quod maximum, catholicos novatoribus bellum & cladem inferre. Perinfensum nostræ familiæ hominem laudo: sed laus iudicii munus debet esse, non voluntatis; & merito, non amoris rependitur.

Antonius Possevinus Societatis Iesu, in Apparatu Sacro.

**Q**uod ad libros locorum communium spectat, negandum non est, quin e secundo, erudito & facundo ingenio prodierint: eo commemorandi magis, quod ipse nostra ætate primus ea brevitate, copia, dispositione ac perspicuitate de iis perutiliter egerit.

Franciscus Garcia e Societate Iesu, in Prolegomenis evangelici Concionatoris, de ecclesiæ Canariensis Præsulibus.

**V**erissime possum affirmare, unum Melchiorem Canum, suscipienda Monachalis Togæ auctoritate, acumine ingenii in differendo, constantia, atque felicitate, argumentorum multiplici nexu vincitorum robore, in ipsa doctorum instituti Dominicani Academia, potuisse integre classis vicem præstare.

Seraphynus Razzius, Prælectione secunda de Locis Theologicis.

**M**elchior Canus, natione Hispanus, professione Dominicanus, dignitate Canariensis episcopus, fratris Francisci de Victoria viri doctissimi quondam discipulus, Dominici Bañez Mondragonensis olim præceptor, & denique primariæ Cathedræ in Academia Salmanticensi aliquando magni nominis præfectus, quem ego hominem de facie novi Florentiæ, in ædibus Divæ Mariæ Novellæ transeuntem hospitem. Obiit anno Domini 1560.

Tom. I.

c

Be-

*Benedictus Perrerus Societatis Iesu, libr. 12. Comment. in  
Danielem, cap. 7.*

**E**X omnibus Theologis, qui concilio Tridentino interfuerunt, Melchior Canus maximæ, clarissimæque famæ fuit. Nemo ab illius ætate mysteria sacrarum scripturarum melius explicuit.

*Aubertus Miræus, de scriptoribus ecclesiasticis.*

**M**elchior Canus fuit vir politus & elegans, atque in historia sacra versatissimus.

*Antonius Senensis, in Bibliotheca fratrum Prædicatorum.*

**F**rater Melchior Canus natione Hispanus, qui fuit aliquando Canariensis ecclesiæ Præsul, & postquam episcopatu celsit, factus fuit provincialis Hispaniæ, vir eloquentissimus, Græcæ etiam linguæ non ignarus, in Aristotelis & Divi Thomæ doctrina plenissime instructus, in sacris vero literis, & in Patribus adeo versatus, ut toto vitæ suæ tempore in nulla re alia occupatus fuisse videatur. In historicis quoque evolvendis magnifice tritus, & andequaque doctus. Vnde & in concilio Tridentino etiam viris eminentibus admirationi fuit, & ab omnibus in multo pretio habitus. Scripsit librum illum eruditissimum, qui hodie omnium passim manibus teritur, ac merito, cui titulus est *de Locis Theologicis*, in quo tam insigniter & exacte, & tanta eloquentia firmat, quæ sunt Theologo potissima loca ad suas firmandas conclusiones, & veluti bases, quibus nixa tota debet structura Theologica confurgere, ut nihil possit esse exactius & absolutius. Edidit quoque Relectionem quandam de Sacramentis in genere, aliam quoque de Sacramento Penitentię, dum publice Theologiam profiteretur in celebri Vniuersitate Salmanticensi. **Claruit anno Domini 1540.**

De-

*Dominicus Bañez, prima part. quæst. 1. art. 8.*

**I**Nter Theologos recentiores diligentissime, ac cum mirabili eruditione Præceptor meus Cano, in Locis Theologicis pertractandis supereminere videtur.

*Gabriel Naudeus, in Bibliographia Politica.*

**V**Tile erit Cassandrum evolvere, qui tot lites de religione aperte quidem componere tentavit, & Melchiorum Canum, qui hoc idem, sed occulte conatus est ingenio maiori, quam pietate, ac propemodum admirabili iudicio. Vix enim potest imaginatio consequi, quantum auctorum huiusmodi lectione Politicorum mentes acuuntur, excitenturque ad saluberrime de rebus istis consulendum, quibus non unius, aut alterius hominis modo, sed universæ plerumque reipublicæ salus & belli, pacisque momenta continentur.

*Ambrosius de Altamura, in Bibliothec. ordin. Prædic. cent. 4.  
ad annum 1554.*

**M**elchior Canus vir fuit summa eloquentia ditatus, in Græca lingua, Hebraica peritus, in sacris literis, in patribus, in historiis, in Divi Thomæ & Aristotelis doctrina versatissimus.

*Adrianus Baillet, in suo eruditorum iudicio, Gallice Parisiis edito, tom. 2. 1. partis.*

**M**elchior Canus Dominicanus, episcopus Canariensis, criticus ævi sui sagacissimus ac liberrimus, ad aniles fabulas, erroresque populares, libris præsertim historicis insertos, carpandos perstringendosque a natura factus videbatur. De eo, ubi de Theologis agemus, sermo redibit. Id unum notare in præsentia satis sit, criticam eius artem Vossio maxime probari, eundemque censorum magistrum a Combesio vocari solitum fuisse, quanquam eius in censendo libertas nonnihil Cardinali Baronio stomachum moverit.

c 2

Ellies

**M**elchior Canus sublimi ingenio pollens, non modo Philosophiam & Theologiam apprime edoctus erat, verum etiam in historia & politiori literatura versatissimus, cultissimo sermone latino utebatur. Tractatus de Locis Theologicis opus plane aureum est, omnibusque numeris absolutum, summaque elegantia concinnatum.

*Jacobus Gadius, de Scriptoribus non ecclesiasticis, tom. 1.*

**C**anus nomine Melchior, Canariensis episcopus, Theologus doctrinæ & eruditionis maximæ, cui parem addidit pietatem, atque eloquentiam, condidit inigne opus, ac memorabile de Locis Theologicis communibus, in quo graviter, candideque præcipua Theologiæ ac religionis argumenta videtur tractasse.

*Alphonfus Garcias Matamoros, lib. de Academiis, & doctis viris Hispaniæ.*

**S**ummi viri Melchioris Cani, & Bartholomæi Mirandensis, omnis illa ingeniorum & doctrinæ nunquam factis laudata facultas, ex monumentis ipsorum non ineleganter scriptis perspici potest: Quæ & omnino absoluta est, perfecte diferta, in eoque constituta loco, quem multi mirentur, & pauci attingant.

*Vincentius Contensonius, libr. 5. Theologiæ, dissert. præambula, seu commendatione locorum Theologicorum.*

**D**E Locis Theologicis omnium primus methodice, nec minus eleganter egit Melchior Canus, vir literis & eruditione præcipuus, moribus & pietate insignis, pontificalibus etiam insulis conspicuus, & in rebus Theologicis summa eloquentia dicendis, nulli sui temporis secundus. Insignis ille auctor integrum & aureum librum de decem locis edidit, quem vere thesaurum dicam, ex variis

riis fodinis extractum, in quo nihil non pretiosum, non obryzum, non numeris omnibus absolutum invenitur. Nam secum advehit omnes præcorum hominum divitias, quas, magnis aliorum voluminibus diffusas, compendiosa utilitate contrahit, non arido stylo, sed locutione selecta, ornatō verborum contextu, & perquam exquisito rerum apparatu proponit. Patrum & ecclesiasticæ doctrinæ gemmas non parca manu, sed plena diffundit, & cuncta, quæ sunt vel difficilia dictu, vel sensu grandiora, vel digniora lectu, excerpit, & in uno medullato volumine, Theologorum usibus profutura, transtulit: Hunc quisquis serio & attente legerit, ultro fatebitur, vix ullum hætenus librum aut copia ditiozem, aut methodo commodiozem, aut varietate feraciozem, aut oratione cultiozem, aut rerum omnium digestu illustriozem (solis exceptis ecclesiæ patribus) post hominum memoriã prodisse: quippe in quo eximius elegantię nitor, sublimis sapientia, & profunda eruditio de palma contendunt.

*Natalis Alexander in historia ecclesiastica sæculo 16. In synopsi, art. 2. de Theologis sæculi 16.*

**M**elchior Canus Hispanus, Canariensis episcopus, ex ordine fratrum Prædicatorum assumptus, vir non solum in Scholastica, sed in positiva Theologia eruditissimus, magnum sibi nomen in concilio Tridentino sub Julio III. peperit, ingenique sui, doctrinæ & industriæ perenne reliquit monumentum, libr. 12. de Locis Theologicis, elegantissimo stylo elaboratos, & Relectiones de Sacramentis in genere, & Pœnitentia. Obiit vir laudatissimus, cuius ingenium præ cæteris Dominicani ordinis scriptoribus post S. Thomæ Angelicam mentem maxime suspicio. Tolleti anno 1560.